



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundùm Ioannem

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

30. Consummatum est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39480

Sacerdote Catholico baptizatus Calvinus fuit. Ergo aut Ecclesia Romana vera tunc fuit Ecclesia, aut Calvinus nunquam baptizatus exstitit. Si prius, satis firmum & luculentum Ecclesiae signum dedimus, cuius ille nullum signum à nobis obtēdi affirmavit. Si posterius, quid Calvino cum Scripturis & dogmatibus Christianorum, qui nunquam Christianus fuit? *Quotquot baptizati estis, Christum induistis*, ait Paulus: Calvinus non baptizatus quomodo Christum induit? Si Christum non induit, quid illi cum rebus Christianis? Aut ergo Ecclesia Romana vera Ecclesia est, aut Calvinus in Ecclesiae corpus nunquam cooptatus fuit. Gal. 4.

30. Consummatum est.

Nihil in Scripturis tam sanctum ac salutare, ex quo aliquid veneni haurite, aliquam aduersus veritatem pugnandi causam arripere, inquieta, maleuola, & astuta haereticorum pectora non valeat. Christus Redemptor hoc breuissimo verbo, veluti omnium quae & quatenus pati debuerat conficius, & accepto iam aceto, postremam hanc esse passionis suae periodum cognoscens, pronunciat finem iam ac terminum adesse eorum quae pro humano genere pati debuerat, & ait, *Consummatum est*. Peracta & perfecta sunt omnia, *τετελεσται*. Terminus & finis iam adest, eorum quae à me toleranda aut Prophetæ prædixerunt, aut Dei Patris voluntas decreuit. Nihil hoc verbo simplicius, nihil sanctius, nihil salutare. Ostendit in eo Christus & summam erga Deum Patrem obedientiam, & ardentem pro nostra salute amorem, (de qua iam procurata veluti triumphat) & diuinam suam rerum omnium cognitionem, vnde hoc verbo dicto, *Inclinato capite tradidit spiritum*. Inuenit tamen in his verbis Calvinus, quod, sub specie ac larua pietatis, plenis buccis contra orthodoxam veritatem declamaret. *Sensus* (inquit) *est, quicquid ad salutem hominum facit, in Christo constare, nec alibi quaerendum: vel quod idem est, salutis perfectionem in eo esse inclusam. Subest autem tacita antithesis, quia mortem suam veteribus sacrificiis & figuris omnibus opponit Christus. Huic doctrina annexa est omnium Legis rituum abrogatio. Quod si in hac voce acquiescimus, vna eius morte ad salutem contentos esse nos decet, nec vlla aliunde subsidia accersere fas est. Atqui huc spectat tota Papatus religio, ut homines sibi innumeros quaerenda salutis modos excogitent: vnde colligimus abominandis sacrile-*

giis scaterere. Præcipue hæc Christi voce damnatur Missæ abominatio. Quod statim, ut mox videbimus, pluribus verbis profertur. Quis verò ex hoc simplici verbo tantam declamationem expectasset? Sed hæc Caluini immensa nocendi cupido est. Corradit vndeque, siue aptè siue ineptè, per falsasque, vnde Ecclesiam Catholicam, eiusque sacrosanctam fidem arrodit, laceret, & apud lectorem suum traducat, quæ omnibus hodie hæreticis tela subministrans, quibus Christi Ecclesiam hostiliter & certatim impugnent. Ad rem quod attinet; profus in solo Christo eiusque morte ac passione conquiescendum est: nec alia salutis subsidia quæreda. Sed hæc propositio sanè & salubriter intelligenda est. Nempe quia ex morte & merito Christi omnia alia salutis subsidia vim ac virtutem accipiunt, ut talia sint, atque ut ad salutem valeant. Caluinus cum suis sic vna Christi morte contentos nos esse, nec vlla aliunde subsidia accersere, ut in sola huius mortis fidem apprehensione omnem & plenam & certissimam salutem ponat, ut nec mandatorum Dei observatio, nec vlla profus opera bona, nec vlla Sacramenta, nec vllus denique Dei cultus, siue internus, siue externus, vel vnâ guttam salutis adferant, sed aut notæ tantum ac signa aut sigilla quædam & oblationes sint acceptæ iam dudum salutis per solam fidem quæ Christi mortem apprehendit: hoc ille venenum in his verbis coquit. Sed vna Pauli sententia tum hoc mellitum Caluini venenum, quo vna Christi morte contentos alia salutis subsidia accersere prohibet, veluti Antidotum fortissimum expellit, tum Catholicorum sanam doctrinam de aliis adhuc salutis subsidiis adhibendis validè confirmabit. Christus (inquit) per passionem consummatus, factus est causa salutis omnibus obtemperantibus sibi. Non igitur vna Christi morte contenti esse debemus in sensu Caluini, illam solum per fidem apprehendendo, sed Christi mortem causam salutis esse intelligere debemus, si Christo obtemperamus, si eius præcepta facimus, si eius Sacramenta percipimus, si alia salutis subsidia ac media suscipimus, & exequimur quæ ille præscripsit. Quæ tamen omnia quia per Christi mortem ad salutem valent, & merito mortis Christi efficacia salutis sunt: hoc certè sensu vna Christi morte contenti sumus, veluti fonte & radice cæterorum omnium quæ ad salutem valent. Catholica igitur Ecclesia, quæ per opera pietatis, per mandatorum observationem, per Sacramentorum usum, per vana Dei cultus externos & internos salutem suam ac suorum querit.

Caluini
immensa
nocendi
cupido.

Mors
Christi sola
quomodo
tota salutis
nostra.

Heb. 5.

nulla exercet sacrilegia abominanda, vt sacrilegus Caluinus voce abominanda loquitur. Sed iuxta Paulum obtemperat Christo, vt Christi passio causa salutis illi fiat.

Nunc de Missa quæ homo impius blasphematur audiamus. *Missæ Sacrificium defenditur*
*Præcipue, inquit, hac voce damnatur Missa abominatio. Cur ita Cessare, inquit, omnia legis sacrificia oportuit, quia vnico mortis sacrificio perfecta fuit hominum salus. Quo igitur iure vel prætextu sibi licuisse Papista dicent sacrificium erigere quod Deum hominibus reconciliet? Vidit Caluinus totam hanc rixam nihil ad rhombum esse, quia nullum nouum sacrificium in Ecclesia Catholica erigitur, vt antiquissimi Patres Chryso-
 stomus, Primasius, Theodoretus, & alij propter vnâ Christi in cruce oblationem, qua consummauit in æternum sanctificatos, diligenter annotarunt. Ait igitur. Excipiunt non esse nouum, sed illud idem quod Christus obtulit. Hæc planè est exceptio nostra, hæc veterum Patrum fuit, & iusta & sufficiens. Quid ad hanc exceptionem Caluinus? Atqui (inquit) facilis est refutatio, quòd nullum offerendi mandatum ipsi habeant. Deinde quòd Christus semel vna oblatione defunctus pronunciet ex cruce totum esse perfectum. Ergo plus quàm falsarij sunt, qui Testamentum sacro filij Dei sanguine obsignatum perfidè corrumpunt ac violant. Duo respondet, quorum est facillima refutatio. Primum ait, nos nullam habere offerendi mandatum. Mentitur, habemus clarissimè expressum in illis Christi verbis, Hoc facite in meam commemorationem: vt suprâ ex SS. Patribus comprobatur dedimus: quæ propterea verba Caluinus in suis commentariis penitus intacta omisit. Alterum quod dicit, nihil ad rem facit, & contra factam exceptionem nihil concludit, sed eandem reperit atque confirmat. Idcirco enim nullum nouum sacrificium offerimus, quia vna oblatione Christus semel perfunctus, totum in cruce perfecit. Quod autem nos offerimus, idem est, & eiusdem cruentæ oblationis commemoratio incruenta, de qua in Epist. ad Heb. (loco proprio) vita comite plura dicemus. Ex his patet non esse falsarios Catholicos, neque Testamentum Christi sanguine obsignatum violare, qui id faciunt quod Christus faciendum præcepit, quòdque tota Christi Ecclesia per totum mundum ab Apostolis acceptum (vt Irenæus loquitur) religiosissimè semper obseruauit, sed bis falsarium & ter impium esse Caluinum, qui tum sanguinem noui Testamenti à Sacramento Eucharistico penitus remouit, tum oblationem à Christo institutam ad mortis dominicæ & effusi sanguinis filij Dei*

In Comment. ad Heb. c. 10.

In Matth. cap. 26.

Lib. 4. cap. 32.

perpetuam commemorationem, omnibus locis expulit, quibus eam expellere potuit.

*Calvinus
ex seipso
refutatur.*

Tandem ut aliqua in Calvinum reconuentione utamur: si vna Christi morte ad salutem contentos esse nos docet (ut certe docet maximè) nec vlla aliunde accersere fas est subsidia, quàm impietatem docuit ipse Calvinus, qui vna Christi morte nihil ad salutem nostram actum fuisse discrete scripsit, sed aliud idè què maius & excellentius salutis nostra pretium confinxit! Verba eius hæc sunt: Nihil actum erat si corporea tantum morte perfunctus fuisset Christus: sed opera simul pretium erat ut diuinæ vltionis seueritatem sentiret, quo & ira ipsius intercederet, & iusto iudicio satisfaceret. Vnde etiam oportuit cum inferorum copiis aternæq; mortis horrore quasi consertis manibus luctari. & paulò post: Non modò corpus Christi in pretio redemptionis fuit traditum: sed aliud, maius & excellentius pretium fuit, quòd diros in anima cruciatus damnati ac peccati hominis pertulerit. Hæc quidem eius blasphema & execranda verba, & omni impietate plenissima, alio in loco copiosè

*In Prom-
ptuario
Catholico
part. Qua-
drages. ad
Feriam 4.
heb. vlti-
mæ.*

refutauimus: hoc nunc in loco id vnum notamus, Calvinum, qui vna Christi morte contentos nos esse oportere, nec vlla aliunde subsidia accersere hîc & nunc affirmat, ut contra Catholicos rixandi ac debacchandi causam arriperet, alio in loco ad eò vna Christi morte contentum non esse, ut illa vna morte nihil actum fuisse proclamer, ad eò quoque aliunde subsidium accersere, ut affirmet, aliud idè què maius & excellentius quoddam pretium fuisse, præter corpus Christi in pretio redemptionis traditum. Est ergo iterum plusquam falsarius, & ter impius Calvinus, qui Testamentum sacri Dei sanguine obsignatum ita perfide corrupit ac violauit, ut illud si solum esset, nullius valoris fecerit; atque aliud eò maius & excellentius è suo cerebro confinxerit: rem planè dicta horrendam & execrabilem, ut est alio in loco à nobis fuit & copiosè disputatum.

*Vbi supra,
& ad
Matth. c.
27. ver. 46*

IN IOANNIS CAP. XX.

6. Vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat
7. super caput eius, non cum linteamibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.



T in omnibus suis diuinarum Scripturarum commentariis, sic in huius maximè Euangelij commentario propositum Catuino fuit, aduersus Ecclesie Catholice